ILLUSTRISSIMIS DOMINIS FRANCISCO PETRO MARIÆ ET ABBATI PANDULPHO...

Antonius Maria Soffi



8 25

ILLUSTRISSIMIS DOMINIS

FRANCISCO PETRO MARIÆ ET ABBATI PANDULPHO MARIÆ BARDI

EX COMITIBUS VERNII,

SE, SUASQUE

THESES THEOLOGICAS,

IN TEMPLO FLORENTINO SOCIETATIS IESU

PUBLICE PROPUGNANDAS

D. D. D.

ANTONIUS MARIA SOFFI

SUBDITUS.



FLORENTIÆ M DCC. X.

Apud Cæsarem de Bindis. Sub signo S. Bernardi. *Superiorum Licentia.*

ILLUSTRISS. DOMINI

QUOD cæteris sapientiæ cultoribus, litterarum in pulvere sudantis ingenijs, doctrinæque periculum, diuturna deliberatio, ac meditatum consilium, id mihi, Illustr. Domini, Divinarum rerum scientiam propugnaturo, felici quadam necessitate, Sors, Natura, & Virtus certatim obtulerunt, in vobis scilicet ipsis, mei, utreque doctrinæ splendidum Patrocinium. Ad Oceanum Fluvij natura duce, perennitee properaut, ut ei sistant sese, cui debent suam originem, & undè fluunt, eò refluant cum undis vectigalibus. Haud secus quidquid flavet in arista, aut olescit in cespite, aut floret in caule, aut maturescit in arbore, suo sibi iure, Fundi Dominus vendicat. Ut proinde mihi deliberare integrum non fuerit, utrum ego vobis has Theologicas theses nuncuparem: nec ne? ego, inquam, cui vestra sub Ditione obtigerit nasci, vitamque prius imperium, ac beneficia sentire, quàm uitæ. Neque verò quodcumque in me sit ornamenti, & laudis, quod tamen perexiguum sit, ad Vos ea maximè, atque unicè pertinet, quòd vitam indè auspicari mihi datum sit, ubi vobis imperantibus. Quòd mei natalis nomine vobis adeo devinctus sim, hoc certè minus tum Sorti, tum Naturæ acceptum referimus: at potiori jure mea omnia, meque ipsum vobis asseruit Virtus vestra. Siquidem fors una concessit sub vobis Dominis nasci. Vobis etiam Dominis obsequi me iussit, humanis mentibus insita, naturæ lex, sed vestra præstitit virtus, ut optimi essetis, quibus ego nascerer obtemperaturus, utque vobis eò obstringerer maximè, quia optimis. Etenim dum singularis vestra pietas, dum morum intaminatus candor, dum antiquus modestiæ decor, & vel in privato homine suspicienda moderatio, dum urbanitas sine fastu gravis, dum comitas citra ostentationem amabilis, dum magnanimitas, fidelitas, prudentia, benignitas, liberalitas, utque, ad iustitiam omnem institute, constans tenor, cæteraque virtutum vestrarum exempla nobis obversantur, ad absolutissimæ honestatis amorem non tam ducti, quam rapti quadam veluti machina reverentiæ, nihil propemodum aliud non possumus, adeo ut quorum iussa exequi, horum perinde mores sequi cogamur, quasi nescientes. Plurimum igitur ego vesterque Populus omnis eximie vestræ probitati debemus, tantoque huic magis, quam Sorti, aut Naturæ quanto maius beneficium fuit a vobis tam honestè educari, quam vestra in Ditione vitam exordiri. Quocirca bene Aristoteles prodidit, pares ijs gratias esse referendas, per quos probè vivimus, atque illis ipsis, a quibus vitam accepimus. Quamquam summa vestra liberalitas id etiam meruit pretium, ut non modo quod benè vivimus, sed quòd vivimus, debeamus. Contra namque ingruentem difficilis anni sterilitatem, tam largè, ex proprio censu, Vestrates vestros communi relevastis inopia, ut penè inopes se esse non senserint illi ipsi, qui secùs fame fuerant absumendi. Propè est ut exclamem, tanti fuisse calamitosos nos esse, ut tam pretiosè redimeretur nostra calamitas; atque dulcitet experiemur, nostros inter Dominos, & Parentes nostros, quamlibet amatissimos, id unum interesse, quod a nostris Dominis ultrò diligamur. Laudabunt alij Vos, Illustrissimi Domini, felices vos dicent, vos Magnos, a Familiæ vestræ claritate, atque præstantia, ex qua videlicet

licet

licet fermè innumeri prodierint Heroes, belli, pacisque studijs conspicui: quorum opes Regibus ipsis aliquando potuerint subsidio esse, & stupore, cui san am magnificè coierint cum summis Principibus inita connubia penès quam Antellæ, Vicchij, Impruetæ, aliarumque florentissimarum Regionum Tetrarchia aliquando constiterit: & in qua Vernij præsertim amplissima dominatio, jam indè a seculis quatuor (proh quanto benigni Numinis in nos beneficio!) ad præsens usque tempus, nunquam intermissa, perstiterit: quæ potentissimorum Cæsarum, atque Regum exercitibus Tribunos, Ducesque strenuissimos, præcipuis, celeberrimisque Europæ Artibus Præsides, ac Moderatores solertissimos, litterariæ Reipublicæ Viros, omni eruditionis, doctrinæque genere cultissimos suffecerit: cui plures olim urbes suos debuerint, eosque integerrimos, sacrorum Antistites, & florentissima hæc Civitas suum quoque, immortali dignum commendatione, Archiepiscopum & Lutetiæ Parisiorum Magnum (ut vocant) Regiæ Curiæ Cancellarium, eumdemque Theologum disertissimum: cujus e gremio ij processerint homines, quibus summi Pontifices honorificentissimas Legationes demandare non dubitaverint, ex quibus idem, ex merito, Purpuratorum Patrum cœtui inserverint Principem Romanæ Ecclesiæ Eminentissimum, quos Serenissima, & Regalis Mediceorum Domus ad amplissima semper munera evexerit, quosque etiam uum Oratores agere apud Reges maximos jubeat, ad quam denique exornandam cum humano Divinum, penè dixerim, studium conspiravit. Domus si quidem vestræ gloriam (quod his omnibus, quantumlibet maximis, certè maius est) Gentis interdum sanctimonia, ex amantissimi Dei singulari munere, tam sublime tulit, ut Cælo ipso altiùs extulerit. Verùm hæc ego, cæteraque innumera Maiorum vestrorum Insignia sciens ac prudens prætereo, ne videar commendationem vestram ex aliena mutuari, aut in vobis aliud quæpiam laudare, quam Vos ipsos. Erit igitur unicum, illudque omnium luculentissimum, summeque proprium argumentum laudum vestrarum, si meo, meæque Patriæ nomine prædicaverim, Vero: Gentem tales in vobis sortitam esse Dominos, quorum innocentia, moresque probatissimi effecerint, ut ferè difficilius nobis sit malos, quàm probos esse, atque eorumdem benignitas, & planè regia liberalitas, ut uobis quodammodo felicitas verti possit communis, ac præsens infelicitas Populorum. Ad hæc mihi demum Patriæque conveniens nomina accedit titulus omnino præcipuus, cur hæc Theologica Asserta, & mox ineundum certamen, nunc vobis inscribam: quod nempe, ne fortunarum mearum exilitas avocaret me a studio litterarum, cogeretque teneram indolem in Patriæ sinu habetem, desidemque marcescere, me ipsum humanioribus æque, ac severioribus disciplinis extra paternam Domum informandum non favore solùm vestro, sed opibus sustentastis: ut si forte parum in ijsdem litteris profecero, id tribuendum planè sit tenuitati ingenii mei, si satis, vestræ beneficentiæ. Sed præstat hoc, atque alia vestra in me merita grato silentio commendare, quam celebrare facundè de ijs siquidem, ut par est, eloqui, neque ipsorum beneficiorum magnitudo, neque vestra me sinit modestia, & magnanimitas. Valete.

Dominationum vestrarum Illustrissimarum.

Humill., addictiss., & obsequentiss. Famulus, ac subditus
Antonius Mar a Soffi.

AS-



ASSERTIONES

SCHOLASTICO-POLEMICÆ

DE POENITENTIA, UT VIRTUTE.

I.



OENITENTIA Theologicè sumpta, quæ dici potest absolutè, & simpliciter Virtus, benè dividitur in genericam, seu latè dictam, & specialissimam, seu in scholastica restrictione acceptam. Istam constituimus in omnibus, & singulis virtutibus, quatenus Peccatum ex proprio motivo detestantibus: hanc in speciali quodam habitu morali, cujus objectum formale est honestas retractationis compensativæ peccati, quatenus illud est Divini Iuris læsivum.

II.

Quælibet igitur virtus ex eo tantùm veræ, ac Theologicæ Pœnitentiæ nomen sibi vendicat, quod inclinet, atque disponat ad peccata ex proprio motivo formali detestanda, cum proposito non peccandi de cætero. Hinc actus cujusvis Pœnitentiæ Theologicæ adhiberi licitè possunt ut congruæ dispositiones ad gratiam iustificantem in Sacramento Pœnitentiæ adipiscendam. Qui tamen detestatur in ordine ad Sacramentum, sua peccata ob peculiarem turpitudinem, aliquibus virtutibus oppositam, caveat ad indemnitatem Sacramenti, ne ullum sit in conscientia peccatum, quod ob suam specificam turpitudinem non retractetur, addatque particulari detestationi propositum universale explicitum non amplius peccandi.

III.

III.

Hinc evincitur, execrabilem esse illam Lutheri, aliorumque Hæreticorum opinionem, qua asserebant, ad veram, ac Theologicam Pœnitentiam detestationem nullam, nullumque dolorem requiri; secus inutilem fore, ac vitiosam Pœnitentiam: sed illam adæquatè consistere in mentis mutatione, seu nova vita, ac resipiscentia, quam ex græco Codice sacræ scripturæ μετάνοιαν nuncupabant.

IIII.

Pœnitentiæ Virtus respicit tanquam suum materiale objectum, ac proprium terminum suæ aversionis retractativæ, peccata omnia tum lethalia, tum Venialia, sive commissa, & non dum dimissa, sive etiam dimissa: non autem peccatum Originale, neque peccatum merè alienum, nec malum pœnæ peccatis debitæ, neque imperfectiones morales.

V.

Arbitramur habitum veræ Pœnitentiæ Infusum probabiliter fuisse in Adamo ante lapsum, & in Beatissima Virgine Deipara; & in Apostolis etiam post Spiritùs Sancti in eorum corda illapsum: esse quoque in Infantibus, qui Baptismum susceperunt, Et in Adultis, retinentibus Baptismi innocentiam; & remanere in Beatis tanquam ornamentum, aut Insigne victoriæ, quam ex ipsis peccatis retulerunt. Negamus tamen hujusmodi habitum unquam fuisse in Angelis, aut in Christo Domino.

VI.

Cum ens intrinsecè, ac theologicè supernaturale sit, quod naturæ vires, ac jus excedit, atque ex intrinseca sua ratione pertinet ad æternam, supernamque hominis felicitatem, aut identicè, aut in ratione proprietatis, aut propter ordinem ad illam, apertè constat a sana doctrina nimium aberrasse quicunque, aut cum Pelagio docuerunt, hominem sine Iesu Christi gratia, solis liberi arbitrii viribus quodlibet salutis opus perficere posse, aut cum Semipelagianis eum posse se solo, suæ salutis initium ponere, aut cum Kemnitio, salutaris Pœnitentiæ actus exercere.

VII.

Cordis contritio, quæ ex Concilio Florentino, ac Tridentino primum locum inter Pœnitentis actus obtinet, tum consiare potest ex tribus actibus realiter distinctis, qui sint peccati detestatio, dolor de peccato, & propositum non peccandi de cætero; tum potest in unico indivisibili actu consistere, qui illorum trium contineat formalitates.

VIII.

Hinc ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè suscipiendum non requiritur per se propositum formale, & explicitum deinceps non peccandi, sed sufficit virtuale, & implicitum; dummodo dolorosa peccati detestatio, in qua hujusmodi propositum includitur, eliciatur ex aliquo motivo supernaturali universali.

IX.

Contritio est ratio generica, quæ contrahi potest, tanquam ad suas species, ad imperfectam, quæ propriè dicitur attritio, & ad perfectam quæ proprium sibi fecit ipsum generis nomen. Hæc autem perfecta Contritio, quæ ex unico motivo oriri potest Divinæ Bonitatis, propter se, & super omnia dilectæ essentialiter includit amorem Dei appretiativè, & practicè summum, tantamque respectivè peccatorum detestationem.

X.

Hinc sustinemus contra aliquos Neotericos Theologos, ac rigidioristas, contritionem ita perfectam in linea appretiationis, sive intensa sit, sive remissa, semper, atque infallibiliter conjungi cum remissione omnium lethalium extra Sacramentum; nullamque ad Sacramentum ritè suscipiendum contritionem esse necessariam, cum ad id supernaturalis attritio sufficiat, etiam ex Gehennæ metu concepta.

XI.

Asserimus contra Novatum nullum esse peccatum irremissibile per veræ Pœnitentiæ actus; & contra aliquot Doctores Catholicos, nulli Peccatori, quandiù est in statu viæ, suique plenè compos, deesse potentiam moralem ad resipiscendum.

XII.

Omnia Sacramenta, non autem Sacramentalia, ex opere operato causant remissionem peccatorum venialium, dummodo hæc retractentur per aliquem Pœnitentiæ actum, vel formalem, vel virtualem. At extra Sacramenta requiritur ad eorum remissionem saltem formalis attritio, quæ oriatur ex aliquibus motivis perfectioribus metu Purgatorii, & consideratione specialis illorum turpitudinis.

DE POENITENTIA, VT SACRAMENTO.

XIII.

PRæter Pœnitentiæ virtutem, certum ex fide est esse in Ecclesia verum ac speciale Sacramentum Pœnitentię, habens vim remittendi peccata. Hoc autem institutum præcipuè fuit a Christo Domino, non quidem in supremæ nocte cœnę; sed cum a mortuis excitatus, insufflauit in Discipulos suos dicens. *Accipite spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.*

XIV.

'dem Metaphysicè definitur sacramentum per se remissivum peccatorum ab homine Christiano admissorum. Quapropter Christianis omnibus, post Baptismum in lethale lapsis, Sacramentum hoc in re, vel in voto susceptum, est necessitate medii necessarium ad salutem.

XV.

Ad illud autem suscipiendum obligantur per se, & de Iure Divino Christiani omnes sibi conscii peccati mortalis, in præsenti quovis vitæ discrimine, Et præterea singulis annis (cui tamen præcepto annuæ confessionis non satisfiet per sacrilegam confessionem, seu voluntariè invalidam) determinante Ecclesia per proprium præceptum, tempus illud certum, quo Divinum de Confessione præceptum per Christianos peccatores adimpleri debet.

XVI.

Exinde refelluntur Montanistę, Novatiani, Lutherani, Wiclefistæ, Calvinistæ, Sacramentarii, aliique Hæretici, qui docuerunt, vel hoc non esse verum Sacramentum; vel non esse necessarium ad salutem; vel non esse ex Divina, sed Ecclesiastica institutione.

XVII.

Sacramentum Pœnitentiæ includit intrinsecè tum supernaturalem detestationem, ac dolorem peccatorum, & Confessionem saltem formaliter integram, & satisfactionem a Pœnitente exhibendam, tanquam materiam, tum absolutionem sacerdotis, tanquam formam, ita tamen, ut dolorosa detestatio, & Confessio peccatorum, & absolutio pertineant ad essentiam huius sacramenti: at satisfactio sit pars eiusdem tantùm integralis.

XVIII.

Ex pluribus Sententiis de constitutione sacerdotalis absolutionis, eam tanquam valdè probabilem approbamus, & sequimur, quæ docet, totam absolutionis essentiam consistere in his verbis. *Absolvo te a peccatis*, aut in aliis, quæ his æquivaleant.

DE IVSTITIA, ET IVRE.

XIX.

IVs strictè dictum, nempè Ius Proprietatis, sub ea ratione, qua respicitur a Iustitia strictè particulari seu Commutativa, non videtur bene definiri ab aliquibus: *Prælatio circa usum rei, propter moralem connexionem, quam habet res cum habente ipsum ius*, neque ab aliis, *legitima potestas ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, cuius violatio iniuriam constituat*; neque ab aliis alia ratione. Hanc igitur, relictis cæteris, illius definitionem amplectimur: *Ius est legitima potestas restringendi per suam voluntatem alterius libertatem in proprium favorem, & commodum.*

XX.

Haud tamen negamus, quod Auctores secundæ definitionis aiebant, huius iuris violatione veram constitui iniuriam. Quapropter Contra Lutherum asserimus, licere Coniugibus, violati sui iuris separationem coram legitimo Iudice postulare, imò iniuriosos, ac violentos sui, suorumque Bonorum, quæ maioris momenti sint, aggressores repellere per vim, eosdem, si opus fuerit, verberando, vel occidendo servata tamen moderamine inculpatæ tutelæ iuxta omnis Iuris dispositionem.

XXI.

Ius strictè dictum, si consideretur secundum se, quasi effectivè oritur a Iure latè dicto, scilicet a legibus, a quibus proinde sumit denominationem legitimæ potestatis, siu autem consideretur ex parte termini, dividitur in Ius in re, & ad rem: illud rem sibi moraliter devinctam habet, hoc Personam: ideircò ex priori actio realis, ex posteriori tantum personalis actio proficiscitur.

XXII.

Ius in re aliud est cum dominio, aliud sine dominio, Dominium aliud perfectum, aliud imperfectum. Dominium perfectum seu plenum bene definitur communiter *Ius in re præbens subiecto facultatem quoad omnem usum, ac dispositionem ipsius rei, nisi lege prohibeatur*. De ratione autem perfecti Dominij humani est, ut sit potestas abdicandi ipso dominio, illudque in alios transferendi. Ad ipsam vero translationem dominij, vel alterius iuris in re duo requiruntur titulus, & traditio; hæc tamen regula, sicut aliæ multæ in Iure, suas patitur exceptiones.

XXIII.

XXIII.

In rebus, quæ unico suo principali usu consumuntur, Dominium proprietatis separari potest ab usu gratuito, sive a facultate illis licitè utendi. Hinc Fratres Minores, ex peculiari suæ paupertatis institutione harum rerum habent solum usum moralem, quarum dominium est apud sedem Apostolicam.

XXIV.

Dominium Civilis Iurisdictionis in quolibet humano principe certos semper habuit limites: quo circa nulli ex Iure debetur totius terrarum orbis politicus principatus: hinc etiam leges, quæ continentur in Corpore Iuris Civilis, quamvis dicantur esse Iuris Communis, quia authoritatem tantum Imperatoriam, habent nunquam habuerunt vim obligandi extra terras, ac Provincias Romano Imperio immediatè, aut mediatè subiectas, nisi ubi, & quatenus receptæ fuerint.

XXV.

Summus verò Pontifex supremam Iurisdictionem spiritualis ordinis habet in totam ecclesiam: politicam autem Iurisdictionem directam non habet, nisi in eas Terras, ac Provincias, quarum humano Iure per Christianos Principes constitutus est Dominus temporalis. Potestatem igitur temporalem in universam Ecclesiam tantum indirectè habet, quatenus nimirum expediverit ad spirituale bonum, ac regimen totius Ecclesiæ.

XXVI.

At Christus Dominus, etiam quatenus Homo, præter excellentissimam Iurisdictionem spiritualem, in aliquo vero sensu temporalem obtinuit totius orbis Principatum, ac potestatem supremæ excellentiæ, ita ut posset de omnibus hominibus, ac Regnis directè, & absolutè ex suo arbitrio disponere.

XXVII.

Cum Luthero errat, siquis asserit per leges lædi Christianam libertatem, & cum Wicleffo, & Ioanne Hus, & Antiquioribus quibusdam Hæreticis, qui se Apostolicos vocabant, quicumque censet, potestatem legislativam, tum civilem, tum ecclesiasticam a fide, aut moribus Legislatoris pendere, aut vim obligandi accipere; denique cum Anabaptistis, Waldensibus &c. quisquis opinatur non licere, neque inesse Principibus Ecclesiæ Iurisdictionem Civilem, aut ecclesiasticam ferendi leges, iudicandi, ac reos puniendi.

XXVIII.

XXVIII.

Licet Christianis Principibus, ex suprema meri Imperij potestate, bellum aliquando indicere, ac facere; dummodo serventur belli iusti conditiones. Vnde cum Manichæis damnandi sunt, qui docent bellum suaptè naturâ illicitum esse, & cum Erasmo, atque Anabaptistis, qui illud falso in Christianis fidelibus semper damnant. Qui verò peculiariter assereret non licere Christianis adversus Turchas arma sumere, Lutheri errorem profitetur.

XXIX.

Iustitia strictè particularis, & Commutativa benè definitur. *Constans, ac perpetua voluntas Ius suum cuique tribuendi*: estque ex speciali ratione virtus ad alterum præ ceteris omnibus, quæ dicuntur virtutes ad alterum.

XXX.

Illius obiectum formale non est neque Ius activum, neque Ius passivum, si hæc secundum se considerentur; neque complexum ex utroque; neque honestas operationis internę aut externæ ipsius Iustitiæ; est verò æqualitas, ut talis Iuris passivi cum activo.

XXXI.

Iustitia non obligat per ullum præceptum in materia, ac tempore determinato ad operandum ex suo obiecto formali, aut ex aliquo motivo honesto. Hinc quamvis ex aliquo motivo inhonesto aliquis induceretur ad alienæ rei restitutionem, satisfaceret huic præcepto Iustitiæ *Redde quod debes*.

XXXII.

Datur speciale vitium Iniustitiæ Commutativæ cuius obiectum formale sit inæqualitas Iuris passivi cum activo, prout, talis

XXXIII.

Principium illud apud Iuristas, ac Theologos omnes receptum; *scienti & consentiente non fit iniuria, neque dolus*, explicandum est de consensu ex voluntate non solum beneplaciti, sed signi, & quidem valida, atque influente in actum, cui aliquis consentit cedens Iure suo. Consectarium hinc est, quod nullus Martyrum, consentiendo suis cruciatibus, ac neci, ab his veræ iniuriæ denominationem potuerit auferre.

FINIS.







